



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum


Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Prologvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)



PROLOGVS.

Hierem. 6.



BRVDIRE HIERVSALEM, NE FOR-
tè recedat anima mea à te : ne fortè
ponam te terram desertam, & inhabi-
tabilem. Hierusalem, secundùm no-
minis interpretationem, quæ est pacifica vel
visio pacis, spiritualiter significat religionem,
quæ intendit paci pectoris; & aspirat ad pacem
æternitatis. Hanc in verbo proposito Deus
hortatur, vt erudiatur : & si erudiri noluerit,
tria mala ei comminatur : scilicet cordis sui
recessum ab ea : defectum bonorum spiritua-
lium : & defectum personarum. Primum,
ibi; ne fortè recedat. Secundum, ibi; ne fortè
ponam te terram desertam. Tertium, ibi; & in-
habitabilem.

Prov. 23.

Prov. 4.

Osea 7.

Isa. 29.

Spiritualiter requirit Dominus cor viri reli-
giosi. Præbe fili mi cor tuum mihi. Ideo custo-
diæ cordis multum debet intendere. Omnia
custodia serua cor tuum. Sed multi religiosi fa-
cti sunt sicut columba seducta; non habens; cor.
Defectu enim eruditionis, & prolixitate nimia
vocalis orationis factum est, vt multi ex eis so-
lummodo labijs Deum honorent, secundùm
aliam literam; Populus hic labijs me honorat;
cor autem eorum longè est à me. Et quia Deus
cor eorum non habet; cor Dei seu anima ab eis
recessit.

Qui

PROLOGVS.

Qui religiones instituerunt, multum voluerunt, vt fratres lectioni vacarent. Vnde beatus Benedictus (vt habetur in eius regula) ad *Cap. 48.* ociositatem vitandam animæ inimicam; lectioni omni tempore aliquam partem diei dandam esse decreuit: reliquam verò partem diei labori manuum deputauit, exceptis dominicis diebus, in quibus voluit vt omnes vacarent orationi & lectioni, exceptis his, qui essent varijs officijs deputati.

Ordinauit etiam, vt tempore lectionis, monasterium circuirent vnus vel duo de senioribus: ad videndum an esset aliquis, qui lectionem negligeret, aliosquæ à lectione impediret: & si quis talis inueniretur, voluit vt non hic negligenter præteriretur, sed corripere-
Eodem capit. 48. à med. retur semel & secundo: & si non se emendaret, tali correctioni subderetur, vt cæteri timerent.

Quidam verò sensum suum rectitudini regulæ præponentes, in quibusdam monasterijs neglecta lectione & dimisso labore, diuinum officium aded prolongauerunt, quòd ferè totum diem in eo occupauerunt: in quo multum videntur errasse, & à regula temerè deuiasse: cum in eadem regula dicatur, vt in conuentu indebitè non prolongetur oratio. Ipsi voluerunt facere viuarium sine aqua sapientiæ salutaris: non attendentes illud Isaia. Computrescent pisces sine aqua, & morientur in siti. Cum *Cap. 50: Psal. 46:* iuxta verbum Psalmistæ, Deo psallendum sit sapienter. Quomodo sapienter psallet, qui negligens

PROLOGVS.

*In regula
cap. 20.*

gligentia lectionis, sapientiam non habet? Sicut enim dicit glossa super dictum verbum Psalmistæ: Nemo sapienter facit, quod non intelligit. Item dicit beatus Benedictus de eo, qui orando cum DEO loquitur: quod debet loqui cum eo, cum reuerentia & puritate & deuotione.

Qualis verò reuerentia est, quando ille qui orat, propter prolixitatem orationis tædio affectus, Deo dorsum vertit: cum deprecetur Deum vt sibi intendat, ipse tamen nec Deo, nec sibi intendit? Cùm aliquis orando tota die cum Deo loquitur, vix est quod irreuerentia non admisceatur. Familiaritas enim nimia parere solet contemptum. Frequenter etiam in oratione prolixa, puritas cordis amittitur. Est enim frequentius vt symiaca: quia ex consuetudine cordis, attentione labia mouentur: interim verò cor malis cogitationibus repletur & maculatur. Item Psalmorum multitudine, vel orationis prolixitate intellectus grauatur: & deuotio spiritus exhauritur. Ficulnea habens folia & non fructum, ad maledictionem saluatoris est arefacta: Sic qui tota die folia verbalis orationis habent in ore, multoties inueniuntur aridi à gratiæ humore: & vbi sunt verba plurima vocalis orationis, frequenter ibi est egestas deuotionis.

Math. 21.

Præterea cùm indigentia sit mater fastidij; monachi qui solum vacant orationi, vt frequenter sunt fastidiosi & accidiosi; vnde parum gratum est DEO seruitium eorum. Hieronymus:

PROLOGVS.

mus: Melior est quinque Psalmorum cantatio cum cordis puritate ac serenitate, & spirituali hilaritate: quàm Psalterij modulatio cum anxietate cordis atque tristitia. Gratiior est DEO psalmodia & cantus cordis, quàm oris. Sic Apostolus psallebat, & psallere monebat, Psal- *1. Corint.*
lam (inquit) spiritu, psallam & mente. Item: 14.
Cantantes & psallentes in cordibus vestris Do- *Eph. 5.*
mino. Tum loquimur cum DEO, dum oramus; & ipse nobiscum loquitur, dum legimus; non videtur nobis expediens quòd semper oremus, ita vt non fit tempus in quo loquatur nobis Deus: cuius loquutio loquutioni nostræ indubitanter est præferenda.

Ad hæc cum tria sint opera, quæ ad vitam contemplatiuam pertinent, scilicet, lectio, oratio & meditatio, lectio orationem & meditationem dirigit: vnde ipsa deficiente, oratio erit execrabilis Deo secundum illud, Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Meditatio verò efficitur DEO abominabilis. Subintrant enim muscæ morientes, quæ perdunt suauitatem vnguenti: peruersæ, scilicet cogitationes à Deo separantes: vel cogitationes sine intellectu fructum spiritus impediens. *Prou. 28.*

Ex defectu eruditionis multa mala secuta sunt in religione & in monasterijs: de quibus decem tangere sufficiat. *Quæ mala sequantur ex defectu*

Primum est, cæcitas ignorantia: quæ inter *eruditio-*
maculas prima numeratur, propter quas à Dei *ni.*
ministerio aliquis repellitur, Dictum est Aaron;
Homo

PROLOGVS.

Leuit. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panem Deo suo: nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit. Honor regis cœlestis in ministris suis iudicium discretionis diligit. Acceptus est regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit. Inutilem dicit, non intelligentem.

Prov. 14.

Olea 4.

Secundum est, immundicia multa. Non est scientia Dei in terra. Et subditur, Maledictum, mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt. Non erat mirum, si opera tenebrarum faciebant, qui in tenebris ignorantia erant. Quomodo immunditia cauere- tur, vbi quid esset immundum, non agnosce- batur? Item non erat mirum si immunditia a- bundabat, vbi aqua sapientia deficiebat. Quo- modo præcepta regularia seruarentur; vbi non intelligebantur? Quomodo semitam religio- nis tenere poterant, qui cæci erant? Difficilius enim est tenere semitam, quam viam latam & publicam. Mira fatuitas: vitam contemplati- uam ducere volebant, qui cæcitate ad contem- plandum impotentes erant, non intelligentes, quod sicut ad actiuam vitam non est idoneus mancus, ita nec ad contemplatiuam cæcus. Si- cut oculus corporalis absque luce corporali in- utilis est. sic oculus contemplationis, qui est o- culus Ecclesie, sine lumine sapientia inutilis esse videtur.

Tertium est, quod qui cum infirmitate mo- nasteria intrabant, vel qui infirmitatem incur- rebant; non curabantur. Sicut enim erit salus, vbi

PROLOGVS.

vbi multa consilia sunt: Sic erit mors, vbi nulla consilia sunt. *Prou. 24.*

Quartum est, quòd paruuli qui intrabant monasteria illa, non proficiebant, imò præ defectu cibi spiritualis peribant. Si enim petebant panem, non erat qui frangeret eis: sed præ esurie & siti anima eorum in ipsis deficiebat.

Quintum est, quòd illi qui in monasterijs illis impugnabantur, vincebantur, cum non haberent gladium spiritus, scilicet verbum Dei, quo hostes inuisibiles maximè superantur. Hoc gladio vicit saluator tentatorem. Ipsi erant absque gladio in fortiori parte belli. Religiosi enim fortissimè à dæmonibus impugnantur. *Matth. 5.
Luc. 4.*

Sextum est, quòd sacramenta conculcabantur. Qui enim dignitatem & virtutem sacramentorum non agnoscebant, debitam ad ea reuerentiam non habebant: sicut nec porcus reuerentiam exhibet margaritis. Nolite sanctum dare canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis. *Matth. 7*

Septimum est, corruptio symoniaca: tam in receptione fratrum, quam in institutione prælatorum. Peccatorum symoniæ in multis monasterijs non reputabatur, quia non agnoscebatur; quod tamen tantum est, quod comparatione ipsius cætera crimina pro nihilo reputantur (vt ait Damasus Papa) Et hoc in capitulo Tanta, de symonia. *Lib. 5. decret.
ti. 2. cap.
Tanta.*

Octauum est, quod in multis monasterijs carnaliter

PROLOGVS.

naliter viuebatur. Cùm enim fratres spirituales delicias non haberent, carnales quærebant. Anima rationalis nobilissima creatura, ad æternas delicias creata, sine delicijs esse non potest.

Nonum est, quòd minima bona magnis præponebantur ibi, vt pulchritudo exterior, quæ est vana, interiori, quæ est vera.

Decimum est, quòd mala valde magna non timebantur: vt indigna celebratio, quæ occisioni Christi comparatur. Quicumque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini, Glo. Ambrosius: Mortis Christi pœnas dabit, id est, ac si Christum occiderit, punietur.

Secundum malum, quod iuxta comminationem Domini præpositam, accidit religioni, erudiri nolenti, est, defectus bonorum spiritualium. Homines enim ineruditi bona spiritualia non agnoscunt: ideo ea nec desiderant, nec quærunt, nec à datore eorum ea recipiunt: qui indubitanter ipsis ea daret, si ea debito modo, & desiderarent, & quærerent. Non enim auarus est, vt ea dare nolit: nec inops, vt ea dare non possit. Sicut super omnem aquam viriditas: & ad oram fluminis ante omne fennum euelletur: sic vbi deest aqua sapientiæ, est ariditas, bonorum scilicet spiritualium defectus, & quasi desertum.

Legitur de deserto, per quod transferunt filij Israël: quòd nullæ omnino erant ibi aquæ. Qui indocti sunt, in egestate cordis morientur.

In

In

PROLOGVS.

In doctrina verò replebuntur cellaria, vniuersa
 substantia preciosa & pulcherrima. Cellaria no-
 stra sunt corda. Cellaria illa quæ nobiscum ferre
 non possumus, non sunt nostra. Non sunt bona *Ambrosiana*
 hominis; quæ secum ferre non potest. Substan-
 tia preciosa, est Dei gratia: cum vna gutta gratiæ
 præualeat toti auro mundi. Pulcherrima verò
 est, cum DEI similitudo sit.

Tertium malum quod accidit religioni e-
 rudiri nolenti, est defectus personarum:
 quia fit solitudo, habitatio bestiarum, non ho-
 minum. Intuitus sum, & non erat homo. Au- *Hier. 5.*
 gustinus in libro de Discip. Christiana: Belui- *Ante med.*
 nus est homo amando talia, qualia beluæ. Se- *lib. tom. 9.*
 mi homines sunt, vbi exterius est forma huma-
 na, interius beluina. Statuæ religiosorum sunt
 ibi. Quorum figura fuit vxor Loth in statuam *Gen. 19.*
 versa. Statua est corpus sine spiritu, quæ in ex-
 terioribus homini assimilatur: interiora verò
 hominis illi defunt. Cum domus religionis ad
 hoc sit instituta; vt sit locus salutis, vt scilicet
 homines salutem suam facillè ibi operentur; in-
 habitabilis fit, cum locus damnationis effici-
 tur; vix aliquis ibi saluetur; cum scilicet mul-
 tudo ibi impellit ad damnationem, & pauci
 vel nulli à damnatione retrahunt, vel ad salu-
 tem trahunt.

Cum igitur multum Deo placeat, & religio-
 ni multum expediat, vt ipsa erudiatur: ego in
 ordine fratrum Prædicatorum minimus, de
 benignitate Saluatoris, non de proprijs viribus
 confusus, præsens opus ad Dei gloriam & humi-
 lium

PROLOGVS.

lium profectum compilare volui : in quo aliqua ad religionem pertinentia, in scripturis diffusa, breuiter collegi : vt viri religiosi in his que ad statum eorum pertinent, facilius valeant erudiri. Quod quidem opus in sex libros distinximus : vt quæ in eo continentur, facilius inueniantur, & melius in memoria teneantur, & vt mens lectoris à grauamine quadammodo releuetur. Sicut enim dicit beatus Augustinus : Ita libri termino reficitur lectoris intentio; sicut labor viatoris hospitio.



INCL-